



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Lvcae Pinelli, Societatis Iesv Meditationes De  
Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Et præparatione ad  
sacram communionem**

**Pinelli, Luca**

**Coloniæ Agrippinæ, 1603**

Iesvs Dvx Noster, Et Redemptor noster. Pvncta Meditationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59560)

do meditatio videatur laboriosa. Non dubium est, quin deinde Meditationem faciat admodum laboriosam, ut vel illam differas, vel certè proferas. Verùm in te nullum desiderium est placendi Deo, vel non erit tibi graue & arduum vacare meditationi, vel existimabis rectè impendere omnem laborem propter illum qui tuos pro te sustinuit labores.

IESVS DVX NOSTER, ET

Redemptor noster.

PVNCTA MEDITATIONIS

**C**ONTEMPLARE hic filium Dei à Patre æterno hominibus datum, non solum tanquam redemptorem, sed etiam velut Ducem & Magistrum, qui doctrinam suam, & multo magis exemplo viam salutis & veram perfectionem nos edocet. Verùm aduerte, hunc magistrum, uti profusus contrarius est mundo, sic etiam doctrina sua, & doctrinam tradere cum mundo pugnantia, ut de respuendis voluptatibus, abijcendis opibus; condonandis iniurijs, humilitate, & mansuetudine sectanda. Cum ipse sit sapientia infallibilis, & omnis veritatis regula, errare nequaquam poterit. Errat igitur mundus, & tu cum illo, hunc Ducem cœlestem sequi nolis, & mores tuos illius Magistri moribus conformare, qui tam amabilis est & generosus.



MEDITATIONES. 163

sus, vt nullam pro suis laboribus expetat mercedem, imò suos discipulos & diligenter tuetur in terra, & postea remuneratus in caelo.

NATIVITAS CHRISTI.  
PVNCTA MEDITATIONIS.

CONSIDERA, quomodo Dominus vniuersi de caelo descenderit, vt tibi ministraret, formam serui humilem assumpsit, in stabulo natus est. Quare significauit se in suo seruitio non suum commodum, sed tuam salutem questurum.

CONSIDERA quoque, quomodo, vt tibi expeditius seruiret, voluerit nasci pauper: vt tu intelligas eum, cum omnia impedimeta remouerit, se totum in tuo seruitio futurum.

IAM si ab eo postules, quid illum ad tantam submissionem, inopiam, & molestias impulerit? respondebit; Tuæ salutis amor & desiderium.

DOCUMENTA.

1. Si seruiendo Deo, tua sekeris comoda, plus tibi ipsi seruis, quam Deo.
2. Vis bene seruire Deo? remoue, quicquid vel modicum te impedierit.
3. Si talis Dominus tantum amore tui fecit, quid non facies propter ipsum? quã incundum tibi erit, si aliquid patiaris amore ipsius?

CIR-